



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Disp. VII. De quidditate cognitionis angelicæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

Ratio dubitandi est, quia actiones liberae Angeli supremi non videntur habere uniformitatem requisitam ad rationem mensuram, cum ipse possit habere plures, vel pauciores operationes liberas, vel etiam omnem actum liberum suspendere, subindeque videtur in eo non dari unum numero tempus continuum, vel discretum, quo mensurentur actus liberi aliorum Angelorum.

Deinde, actiones liberae Angeli superioris non sunt cognitae ab inferiori, sed ei occulta: Ergo non habent rationem mensuram, quae debet esse notior mensurato.

Præterea, Angelus inferior in suis actionibus liberis nullo modo subditur superiori: Ergo quoad istas operationes nullo modo mensuratur ab illo.

Denique contingere potest, quod dum Angelus inferior liberè operatur, superior nullum actum liberum eliciat: Ergo non poterit tunc actio libera Angeli inferioris regulari & mensurari per tempus & durationem operationis liberae Angeli superioris.

Propter hæc argumenta plures ex nostris Thomistis negant dari unum tempus in supremo Angelo: quo actiones liberae Angelorum inferiorum mensurentur; sicut datur unum ævum, quod naturales ac necessarias metitur illorum operationes, nempe cognitionem naturalem, quæ se cognoscunt, & amorè, quo se naturaliter diligunt.

17. Nihilominus Cajetani sententia, quæ unum numero tempus in supremo Angelo magis ordinatè & regulariter operante agnoscit, videtur probabilior, ac principijs supra statutis conformior. Ratio autè hujus est, quia illa, quæ sūt multiplicata & dispersa, debet mensurari & regulari per illud, in quo sunt magis unita; per ea enim, quæ ad majorem unitatè accedunt, cetera mensuramus & regulamus, ut docet Arist. 4. Physic. c. 14. Sed multæ operationes Angelorum inferiorum referuntur in unica supremi Angeli operatione unita; cum hic intelligat per species universales, pluraque objecta representantes, quàm Angelus inferior; ita ut si quatuor aut quinque operationes requirantur in Angelo inferiori ad aliqua objecta cognoscenda, duæ aliquando, vel etiã una in Angelo superiori ad eorundem cognitionem sufficiant; quia aliquando una species repræsentat intellectui Angeli superioris illa omnia, quæ per quatuor, vel quinque species intellectui Angeli inferioris repræsentantur: Ergo Angelus supremus est in operando mensura & regula inferiorum, & per consequens duratio etiã operationum ipsius, est mensura & regula durationis operationum Angeli inferioris. Sicut enim per unicam speciem, & unicam intellectiõnem Angelus superior cognoscit ea, quæ per plures species, & intellectiõnes ab inferiori cognoscuntur, ita unico instanti intellectiõne perlatrat illa, in quorum cognitione plura instantia Angelus inferior consumit.

18. Ex quo patet responsio ad primum fundamentum ad versè sententiã; licet enim Angelus superior possit habere modò plures, modò pauciores actiones liberas; quia tamen per species magis universales intelligit, quàm Angeli inferiores, & plures rationes percipit in quolibet objecto, minus multiplicat suas operationes, quàm Angeli inferiores: ubi autem est minor multiplicitas, est major simplicitas ac uniformitas; quia diffinitas & confusio nascitur ex multitudinè minus ordinatã; unde in actibus liberis Angeli su-

A premi reperitur uniformitas sufficiens ad rationem mensuram.

Ad secundum responderetur, quod licet operationes liberae Angeli superioris ex se & ex natura sua sint occultae, sunt tamè manifestabiles, & de facto plures manifestantur Angelis inferioribus per illuminationes, locutiones, aliasque actiones hierarchicas; quod sufficit ut modus procedendi Angeli superioris in suis operationibus liberis possit ab inferiori cognosci, eiq; pro regula & mensura suorum actuum liberorum deservire. Ex quo habes solutionem ad tertium: licet enim Angelus inferior in suis operationibus liberis non subdatur superiori Angelo effectivè, ei tamè subditur exemplariter, quatenus ad ejus modum operandi simpliciorem & magis uniformem debet se conformare; sicut etiam esse unitus nõ dependet ab alio effectivè, & tamen, ut supra vidim, mensuratur per ævum & durationem alterius: ad rationem enim mensuram, ut talis est, non requiritur necessariò, quod sit causa effectiva respectu mensurati, sed sufficit, quod sit causa exemplaris illius.

Ad ultimum dicendum est, quod si contingat Angelum supremum nullum elicere actum liberum, dum inferior liberè operatur, tunc operatio libera Angeli inferioris mensurabitur, vel tempore particulari & intrinseco, non vero tempore communi & extrinseco in solo supremo Angelo existente; sicut cum tempore solis Sol, ac per consequens primum mobile, in quo est tempus, stetit, motus corporum inferiorum tempore solum particulari & intrinseco, non autem communi & extrinseco mensurabuntur. Vel tunc operatio libera alterius Angeli superioris poterit habere rationem regulæ & mensuram respectu actus liberi eliciti ab inferiori: sicut supra dicebamus, quod si motus primi mobilis cessaret, vel ab ea, quam habet, regularitate, & uniformitate deficeret, tunc ratio mensuræ respectu motuum inferiorum in alio corpore caelesti resultaret, quod magis uniformitè & regulariter moveretur. *Accidit enim tempori, quod sit numerus motus firmamenti* (inquit D. Thomas infra quæst. 66. art. 4. ad 3.) *In quantum hic motus est primus motuum; si autem esset alius motus primus, illius motus mensura esset tempus: quæ omnia mensurantur primo sui generis.* Propter hoc fortasse Aristoteles definiens tempus, solum ait, illud esse numerum motus secundum prius & posterius. Non dixit numerum motus primi mobilis: quia accidentale est tempori, quod per motum primi mobilis, vel alterius corporis caelestis mensuretur.

DISPUTATIO VII.

E De quidditate cognitionis Angelicæ.
Ad quæstionem 54. D. Thomæ.

Explicatis his, quæ ad substantiam Angelicam pertinent, consideratam tam in ordine ad se, quàm per respectum ad alia, exponenda nobis sunt cum D. Thomæ ea, quæ spectant ad ejus cognitionem; quæ sunt præcipue quatuor, nempe quidditas ejusmodi cognitionis; modum ipsius, scilicet species intelligibiles, seu objecta, quæ ab ea attinguntur; & modus, quo illa fit. De quibus disserit S. Doctor à quæst. 74. usq; ad 79. De primo agemus in hac disputatiõne; de alijs vero in sequentibus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum intelligere Angeli sit eius substantia, vel eius esse?

A intelligere, quia participatione tantum sapientia & intellectus, sapiens est & intelligens. Hinc etiam a Nazianzeno & Damasceno appellantur Angeli secundaria lumina, ex primario ac temporeo lumine splendorem haurientia.

Ex quo deduci potest secunda ratio, & contra Durandum probari, Angelum non intelligere seipsum per suam substantiam. Si enim Angelus esset intelligens seipsum per suam substantiam, & cetera objecta, per actus & qualitates productas, ejus actus intelligendi non haberent uniformitatem, sed toto genere inter se differant; alii enim essent substantia, & alii qualitates, ut patet: Sed hæc varietas absurda videtur: Ergo & Durandi sententia.

B Præterea, Si Angelus esset per substantiam suam intellectio sui ipsius, esset etiam amor sui per substantiam; hæc enim connexa & proportionata sunt, intellectio nimirum & amor: Atqui Angelus non est essentialiter sui amor: Ergo nec sui intellectio. Minor probatur: Si Angelus esset amor sui per substantiam, talis amor esset essentialiter, ac invariabiliter rectus in Angelo: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet: Tota siquidem substantia Angeli est creata à solo Deo, quæ autem à solo Deo sunt, necessarii & essentialiter ordinata sunt. Minor verò suadetur: Angeli mali non habent rectum & ordinatum sui amorem; cum rectus & ordinatus sui amor, non possit subsistere cum peccato & odio Dei: unde P. 1. o. dicitur: *Qui dirigit iniquitatem, quid animam suam*: Ergo in Angelis amor sui non est essentialiter & invariabiliter rectus.

C Tertio probatur conclusio rationibus D. Thomæ. Prima est: Si substantia Angeli esset suum intelligere, esset actus purus; quia sibi identificaret ultimam actualitatem ordinis intellectualis, ac proinde nihil haberet potentialitatis admixtum: Sed nulla substantia creata potest esse actus purus: Ergo substantia Angeli non potest esse suum intelligere.

D Dices: Quamvis substantia Angeli non esset in potentia ad intelligere, esset tamen in potentia ad alios actus, v. g. ad subsistentiam, vel existentiam, aut ad volitionem: unde cum de ratione actus puri sit omnem profus potentialitatem à se excludere, quamvis substantia Angeli esset suum intelligere, non esset propterea actus purus.

E Sed contra: Quod identificat sibi remotius, debet sibi identificare propinquius: Ergo si Angelus sibi identificet suum intelligere, quod est quid remotius à propria substantia, quam sint virtus intellectiva, esse, & subsistentia, identificabit etiam sibi virtutem intellectivam, subsistentiam & existentiam: unde necessario erit actus purus; & in genere entis, quia ultima actualitas illius generis est esse; & in genere intellectuali, cujus ultima actualitas est intelligere.

F Confirmatur: Linea intellectualis est omnium linearum perfectissima, & radix aliarum in natura intellectuali: Ergo si substantia Angeli sit ultima actualitas, subindeq. actus purus in linea intellectuali, id etiam debet habere in aliis lineis in illa priori radicatis; & per consequens debet esse suum velle, sicut & suum intelligere; & sui amor, sicut & sui intellectio.

Secunda ratio D. Thomæ sic procedit. Si intelligere Angeli esset ipsius substantia, esset etiam subsistens, sicut & ipsa Angeli substantia: Sed

Upono tanquam certum, Angelos intellectuali cognitione præditos esse. Patet hæc suppositio. Primò quia Angelus est substantia omnino immaterialis, ut disput. 2. ostensum est; immaterialitas autem est radix intellectualitatis ut docet D. Thomas supra qu. 14. art. 1. & pluribus aliis in locis. Secundo, natura Angelica est libera arbitrii compos, & perfectæ beatitudinis capax: hæc autem à natura intellectuali originè habent aut complementum. Tertio, Angelus ad imaginem Dei conditus est jundò perfectiori modo similitudinem Dei participat, quam homo: unde signaculum similitudinis Ezechiel. 28. appellatur, ut eleganter expendit Gregorius lib. 39. Moral. cap. 18. dicens: *Licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi manus aliquid tribuatur, non enim ad similitudinem Dei conditus, sed ipsius sigillum Dei similitudinis dicitur: ut quò subitior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa.* Porro imago Dei in notitia & mente præcipue splendet: unde D. Thomas infra qu. 39. art. 3. probat Angelum magis ad similitudinem Dei esse, quam hominem, quia intellectualis natura in eo perfectior est. Deniq. Angeli in Scriptura describuntur loquentes inter se, & cū hominibus: omnis autem locutio præsupponit in loquente cognitionem, cum loqui sit exprimeret animi sui conceptus: certum igitur ac indubitatum est, Angelos intellectuali cognitione præditos esse. Unde solum potest revocari in dubiū, an per suam substantiam & essentialiter, vel per aliquam actualitatem ab ea realiter distinctam, sint intelligentes, saltè respectu alicujus objecti?

Patent affirmativam tenuisse videtur Commentator 12. metaph. textu 52. ubi docuit quod in substantiis separatis essentia & operatio non distinguuntur, ac proinde quòd intelligere Angeli est ejus substantia. Ad quam opinionem proximè accedit Durandus in 2. dist. 3. qu. 5. ad 1. alferens quòd licet intellectio illa quæ Angelus intelligit alia à se, distinguatur realiter à substantia ejus, non tamen intellectio quæ seipsum intelligit.

Dico tamen: Intelligere Angeli non est ejus substantia, vel ejus esse. Ita D. Thomas hic art. 1. & 2. & communiter Theologi, licet Valentia ejus rationes non approbet.

Probat primò: Visio Beatifica est quædam intellectio: At certum est illam realiter distinguere à substantia Angeli: cum nulli creaturæ possit esse connaturalis, & multò minus illi identificata, ut in Tractatu de visione Beata ostensum est: Ergo aliqua Angeli intellectio, non est ejus substantia. Idem dicendum est de aliis intellectioibus supernaturalibus, quas Angeli, sive in via per fidem, sive in patria per alios habitus elicerunt, vel elicium: Ergo certum est plures dari intellectiones in Angelis, quæ ab eorum substantia vel essentia realiter distinguuntur. Unde Dionysius de celesti Hierarchia cap. 2. dividit Angelum in substantiam, virtutem & operationem. Et Augustinus lib. 11. de civit. cap. 10. ait: *Licet Angelus semper sit sapiens, non est tamen suum sapere, & licet semper sit intelligens, non est suum intellectus & suum*

intelligere Angeli non potest esse subsistens: Ergo nec identificari cum substantia Angeli. Major patet, Minor probatur. Si intelligere Angeli esset subsistens, non posset esse nisi unum: quia omnis forma multiplicatur vel à suo contractivo vel à suo susceptivo; intelligere autem subsistens, esset abstractum ab omni contractivo & susceptivo; esset enim actus purus in linea intellectus, ut supra dictum est: Ergo non posset multiplicari, sed esset tantum unum. Unde unius Angeli substantia non distingueretur, neque à substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens, neque à substantia alterius Angeli; nec posset esse gradus in intelligendo perfectius & minus perfecte; cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere.

Deniq; ut idem S. Doctor art. 2. discurrens, Angeli & cuiuscumq; creaturæ esse, seu essentia ac substantia, est aliquid determinatum & finitum: intelligere verò quantum est de se, potest se extendere ad infinita; quia objectum eius est verum, quod convertitur cum ente, & ad omnia se extendit, sicut & bonum, quod est objectum voluntatis: Ergo intelligere Angeli non est eius essentia vel substantia. Has rationes D. Thomas rectè exponit, & ab Adversariorum impugnationibus defendit Joannes à S. Thoma hic disp. 21. art. 1. ubi legendus est.

Obijcies contra conclusionem: Ideo anima nostra non est sua intellectio, quia est intelligens solum in potentia; eo quod sit unita corpori, ut eo mediante rerum species acquirat, & per eas constituatur intelligens: Ergo cum Angelus non sit intelligens solum in potentia, sed actu, saltem respectu suæ essentia, ut ostenditur inferius, erit sua intellectio. Unde Dionysius de celesti Hierarchia cap. 2. Angelos intellectus & mentes appellat, quia illorum esse est purè intelligere.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Ut enim observat S. Thomas 12 metaph. lect. 11. tripliciter se habere potest natura intellectualis ad suam intellectioem: primò ita ut sit intelligens solum in potentia: secundò ita ut actu semper intelligat, sed per actum distinctum ab ipsa: tertio ut actu semper intelligat per actum qui sit ipsamet natura intelligens. Primum est proprium animæ nostræ: secundum est proprium Angeli, saltem comparatione propriæ essentia; quæ cum sit ipsi intimè unita & semper præsens per seipsam, atque intelligibilis, semper Angelus est in actu intelligendi ipsam: tertium denique est proprium Dei qui est actus purus. Unde Angelus à D. Dionysio mens seu intellectus appellatur; non quod sit suum intelligere, sicut Deus, sed quia tota eius cognitio est intellectualis: cognitio autem animæ, partim est intellectualis, partim sensitiva, ut ait D. Thomas hic art. 3 ad 1.

Quærit idem S. Doctor eodem art. 3. utrum potentia intellectiva Angeli sit ejus essentia? Et respondet negativè: quia scilicet potentia quæ dicunt ordinem ad diversos actus adæquatos, realiter distinguuntur: substantia autem seu essentia comparatur ad esse, sicut potentia ad actum suum adæquatum, sicut & intellectus ad intelligere: unde cum esse & intelligere distinguantur realiter in Angelo, ut constat ex articulo præcedenti, etiam potentia intellectiva: & substantia sive essentia Angeli distinguuntur realiter. Circa hoc gravis occurrit difficultas, an detur vel dari possit aliqua substantia creata,

A que sit immediatè operativa? Sed quia hæc questiō philosophica est, illam prætermittimus, & ad ea quæ docet S. Doctor quæst. 55. de medio cognitionis Angelicæ, seu de speciebus Angelorum, gradum facimus. Unde sit

DISPUTATIO VIII.

De medio cognitionis Angelicæ.

Ad quæstionem 55. D. Thomæ.

B Medium cognitionis Angelicæ sunt species intelligibiles, quibus mediantebus Angeli objecta cognoscunt, de quibus in hac disputatione cum S. Doctore differendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Virum Angelus indigeat speciebus ad cognoscenda alia à se.

A Angelos per solam essentiam & intellectum omnia intelligere, sentierunt Durandus & Nominales, quibus favet Vasquez hic disp. 200. cap. 3. dicens, *Rationes efficaces suppetere ad probandum humanum intellectum indigere speciebus ad intelligendum; at vix ullam esse rationem, quæ id de intellectu Angelico eodem modo aperte convincat.* Idem videtur sentire Valentia in præsentia, rationem D. Thomæ vocans infirmam & minime sufficientem: ejus siquidem efficaciam & profunditatem minimè penetravit, ut patet ex dicendis conclusione sequenti.

Dico igitur, Angelum indigere speciebus ad cognoscenda alia à se.

Probatum conclusio ratione fundamentali. Nulla natura intellectualis potest intelligere aliquid objectum, nisi habeat speciem representativam illius, vel aliquid gerens vices speciei: Sed essentia Angeli non potest habere rationem speciei representantis alia à se: Ergo ut Angelus alia à se cognoscat, debet per se species ipsius substantia superadditis. Major solet in libris de anima probari duplici ratione. Prima sumitur ex differentia quæ est inter intellectum & voluntatem: nam intellectus trahit ad se res, voluntas verò trahitur à rebus; quia scilicet ille fertur in res similitudine, hoc est formando in se rerum similitudines; ista verò ponderè eam in objectum inclinante, juxta illud Augustini 13. Confess. cap. 9. *Amor meus pondus meum, amore feror quocumque feror*: unde cum objectum securum esse quod habet ad extra non possit trahi ad potentiam, nec illi uniti, debet ad illam trahi, trahitur mediante aliquâ ipsius similitudine & representatione, quæ species impressa seu intelligibilis appellatur.

Secunda ratio petitur ex illo celebri Augustini effato, quò asserit ex objecto & potentia pari notitiam; eo proportionali modo quo ex viro & femina generatur proles: unde ad partem intellectualem verbi necesse est quòd aliquid sit loco generantis, ut pariatur fetus; objectum enim per se ipsum in ea semper esse non potest, ut constat: Ergo ad cognitionem requiritur species in-